



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Joannes Büttner h. n. III. Abbas XLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

varia Monasterii jura & advocatias transferre decreverit, nisi idipsum sapientissimus Episcopus pro incredibili sua moderatione dissuadens monuisset: tueretur potius sollicitè antiqua sua Privilegia, se quidem Schwartzacensis Cœnobii de Ecclesia sua Wirceburgensi optimè meriti commodis pro Viribus suis magis semper magisque prospecturum. Georgius tot exantlatis periculis laboribusque felicissimam mortem oppetiit Calendis Maji anno 1535.

SÆCULUM VIII.

Ab Anno 1515. ad Annum 1615. ornatur ab Abbatibus 7.

Joanne, Nicolao, Leonardo, Wolffgango, Joanne Burckardi, Joanne Krug, Joanne Martino.

JOANNES Büttner h. n. III.

ABBAS XLV.

PRioris officium cum Summa Abbatis dignitate commutavit Joannes anno 1535. natus in pago

pago Nordheim, qui jam tum ad Monasterium nostrum pertinebat. De rebus ab illo gestis pauca constant. Feriâ 6tâ post festum S. Mathiæ Apostoli anno 1540. vitam hanc mortalem morte beatâ clausit.

NICOLAUS h. n. II.
ABBAS XLVI.

Qui cum duobus aliis de summa in Monasterio nostro dignitate contenderat, Nicolaus Scholl Grafenrheinfeldensis Patriâ, eam denique unanimi suffragiorum consensu obtinuit anno 1540. sexagenario jam major, & Cellariæ in annum 26. administrator. Monasterium invenit ære alieno laborans; quare cùm ab Antecessore suo pecuniæ nihil ad delenda debita sibi relictum videret, invitus licèt Friderico cuidam Zölnern curiam Krautheimensem vendidit, maximo nostro damno. Ad quod aliud etiam incommodum accessit à nonnullis ex nostra familia & à subditis externis profectum; Illi quidem operam Abbati non fidelem præstitère, hi verò novis imbuti erant de religione opinionibus; unde factum, ut decimæ, non uti fas & æquum erat, exolverentur.

Veri-